



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

40. An idem dicendum sit, quando medicina applicanda æqualiter tenderet ad salutem matris, ac ad foetus abortum? Et utrum sit licitum in tali casu dicta medicamenta applicare? Et difficultas est, an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

ne. Ita Henric. lib. 1. de matr. cap. 16. tract. 8. Navar. cap. 26. num. 62. quos sequitur Sanchez tom. 3. de matr. lib. 9. diff. 70. num. 9. & Sà verbo homicidium, & alij Huculque Trullench.

RESOL. XXXIX.

An pro salute matris pregnantis licitum sit aliquando uti medicamentis non directe tendentibus ad expulsiōem fetus, ut scilicet vena, pharmacum, balneum, &c. ex quibus tamen potest sequi abortus fetus animati?

Et doctrina hujus questionis est valde notanda, quia in exemplum supradictæ difficultatis multa alia similia adducuntur, & cursim explanantur. Ex p. 7. tract. 5. Ref. 35.

Respondeo quod quando talia medicamenta necessaria sunt ad salutem matris possunt licite adhiberi, quia licet nefas sit directe occidere innocentem, tamen per accidens ac prae intentionem licitum est aliquando illum occidere, ut constabit ex dicendis sic enim in vas equo confidens potest licite fugere per viam angustam, vel ostium in quo puer aliquis sit necessariò proterendus. Sic in bello iusto, ut experientia testatur, ac pariter concedunt Doctores omnes agentes de bello, licitum est bellica tormenta, aut ignes dirigere in arcem, seu urbem, in qua coulet esse plures innocentes. Ergo etiam in bello iusto contra lethales humores suscepto licitum erit ægroto sumere pharmacum ad salutem deservientia, licet inde prævideatur securura mors fetus animati; hoc enim non est intendere occisionem fetus, sed tantum illam permittere. Tum quia tam intrinsece mala est pollutio: quam mala est percipio fetus animati. Sed illam licitum est permittere, ut diximus: ut si valetudinis gratia utendum esset medicamento, aut potu, ex cuius caliditate prævideretur pollutio securura. Ergo etiam licebit hanc permittere. Tum quia fera invadente potest mater gravida fugere etiam cum periculo abortus; Ergo pari modo invadente morbo poterit sumere pharmacum, etiam si adsit periculum abortus. Demum verò si proles jam nata materno lacte extremè indigeret, matri verò ad vitam tuendam necessarium esset ubera exsiccare: potest illa exsiccare, etiam si prævideretur mortem prolis secururam, quia posset uti iure suo. Ergo pari modo pro conservatione suæ vitæ poterit sumere pharmacum, etsi videat talem sumpcionem futuram conjunctam cum periculo abortus. Et hanc sententiam cum pluribus ego docui in 3. p. r. 5. ref. 1. 1. quibus nunc addo me citato P. Lugum de iust. tom. 2. diff. 10. sect. 5. n. 1. Scip. de Rubis in Aphor. Confess. ver. abortus, n. 3. Layman. lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 4. & Dicast de iust. lib. 2. tr. 1. diff. 10. dub. 1. n. 166. ubi sic ait. Licitum erit eas medicinas adhibere, quæ per se & directe ordinatæ sunt ad sanitatem matris quamvis per accidens inde timeatur fetus occisio, v. g. venæ sectionem, pharmacum ventris purgativum in eo casu, in quo certo medicorum iudicio mater cum prole ante ejus nativitem moritura sit, nisi tale medicamentum adhibeatur. Ratio est quia non repugnat rectæ rationi innocentem per accidens, & præ intentionem in casu necessitatis occidere. In prædicto autem casu occisio illa per accidens resultat, cum enim fetus pendeat à vita, & salute matris, rarissimè que contingat fecum vivum edi post matris mortem. Idem medicamentum quod ad procurandam salutem matris adhibetur, secundariò tendit ad salutem fetus, licet per accidens illi noceat: confirmatur exemplo: nemo enim negabit, fera invadente matrem, ipsi licitum fore, imò est in

Tom. V.

præcepto naturali, ut fuga vitam suam certè morti expolitam libere, si possit, quamvis cum probabilissimo abortus periculo. Imò ego putarem, si posset illa, & auderet quando aliter effugere non posset, pugnare cum fera, quando spes esset vincendi illam, quamvis cum periculo abortus, id licitum esse. Ergo pari ratione medicamentis pugnare cum ægitudine, sanquam animis, seu lacertis cum fera, etiam si & utraque pugna, vel cum fera, vel cum ægitudine imminet periculum probabilissimum abortus. Ita Dicastillus, quidquid aliqui in contrarium asserant.

RESOL. XL.

An idem dicendum sit, quando medicina applicanda equaliter tenderet ad salutem matris, & ad fetus abortivum?

Et utrum sit licitum in tali casu dicta medicamenta applicare?

Et difficultas est, an cum medicamentum prorsus dubium est, num auxilium, aut mortem sit illaturum, possit adhuc adhiberi si salus infirma omnino desperata est, imò Medicus in tali casu tale medicamentum teneatur adhibere, & applicare?

Et obiter queritur, an si mors certa immineat ab incendio excitato, vel fera invadente licitum sit detento, seu in vaso è loco alto se precipitare cum dubio mortis periculo? Ex p. 7. tract. 5. Ref. 36.

Negat. Corduba in sum. q. 173. dicto. 2. Manuel. 1. 10. sum. c. 5. concl. 3. n. 3. Lud. Lop. 1. p. instruct. c. 63. §. 6. sed in casu dubio. Vega 1. 10. sum. c. 5. cas. 3. ea autem potissimum niti possunt ratione, quia hoc esset directe procurare abortum: quod medicina illa de se tenderet etiam ad abortum. Respondeo tamen, & matrem posse illam licite sumere, & medicum posse licite applicare. Ratio est, quia potius jus habet mater ad vitam suam conservandam, quam habet fetus, cum hic à matre pendeat, & non è contra: Ergo si medicina æqualiter tendat ad salutem matris, & ad necem fetus, præferri potest vita matris, saluti fetus: eo etiam maxime quod matre pereunte pene miraculum sit, si fetus incolumis evadat. Hanc sententiam docet me citato Trullench. in Decal. tom. 2. lib. 5. c. 1. dub. 4. n. 5. Sanchez de matr. lib. 9. diff. 20. n. 18. qui etiam n. 19. concedit hoc etiam esse licitum, etsi medicamentum esset dubium num mortem, an auxilium esset laturum. Ratio est, quia periculum damni est modicum, supponimus enim desperatam esse salutem; ad summum verò illud damnum sequetur, quod mors aliquantulum anticipabitur; ac lucrum est maximum, si res feliciter cedat, puta, salus matris quæ videbatur desperata: Sic si mors certa imminet ab incendio excitato, vel fera invadente, licitum est detento, seu in vaso è loco alto se precipitare cum dubio mortis periculo. Imò addit Sanchez, medicum in tali casu teneri tale medicamentum applicare, eo quod teneatur minus malum ægroto eligere: minus autem malum est dubia mors spem aliquam salutis habens, cum aliquali dubio anticipationis, quam sit mors omnino certa.

2. Rectè igitur ego olim in facti contingentia consului, quod quado nulla est spes ut vivus edatur partus, & ex alia parte adest spes sanitatis matris, si adhibeatur remedium illius sanitativum, adhiberi posse, etsi tale remedium æquè sit ordinatum ad fetus mortem, & ad matris salutem; tunc enim mater utitur iure suo, nec tenetur vitam exponere, quando non est spes salutis proximi. Dixi si remedium sit æquè sanitativum: nam si remedium sit ex sua natura mortiferum foetui, & hac ratione solum sanitativum, quatenus est foetui mortiferum,

Cc

non

Sup. hoc inf. in ref. 43 §. Not. id est hic, ad med. vers. sed difficultas.

Sup. hoc casu melius in tom. 8. tr. 5. ref. 32. à lin. 3. Et pro contento à vers. Imò hujus, cum eodem Sanchez. inf. in ref. 43 §. Et hanc in fin.

*Sup. hoc est eodem Dicastillo, & aliis in ref. seq. & in alio §. ejus ngr.

non potest licite adhiberi. Ita docet Dicastillus de *Iust.* lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 13. num. 169.

3. Sed difficultas, an cum medicamentum profus debium est, nunc auxilium aut mortem sit allatum, possit adhuc adhiberi si salus infirmi omnino desperata sit, ut si in casu nostro mater & foetus perituri sint, nullumque apparet auxilium. Et affirmativam sententiam ego cum Sanchez olim docui quam me citato impugnatur Trullench in *Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 4. num. 66.* sed fatetur meam sententiam non esse improbabilem.

RESOL. XLII.

An si adfit spes ut possit salus in lucem prodire teneatur mater cum periculo ipsius vite supra dicta medicamenta non adhibere, ut foetus baptizetur?

Et an in praedicto casu mortaliter peccet Medicus contra charitatem talia remedia applicando, & mulier assumendo?

Et si tali remedio non adhibito, valde probabile esset utrumque moriturum; eo vero adhibito probabile esset matrem saltem posse conservari, an in tali casu possit adhiberi? Ex p. 7. tract. 5. Ref. 37.

Sup. hoc in §. 1. **R**espondeo affirmativè; dico igitur quod si adfit probabilis spes, ut matre ab illis medicamentis abstinente possit foetus in lucem prodire, & mortaliter peccat contra charitatem medicus talia medicamenta applicando, & mulier assumendo. Et ratio est quia praeceptum charitatis illam obligat ad praestendam viam corporali vitam spirituales proximi extremè indigentis, qualis est puer non baptizatus. Vnde Layman in *Theol. mor. lib. 3. p. 3. c. 4. n. 4.* sic ait: Si autem foetus animatus est, medicinas, quae directè ad foetus occisionem tendant puta venenum, dilacerationem, &c. adhibere numquam licitum est: cum hominem innocentem per se, & directè nefas sit occidere; medicinas autem, quae per se ac directè ordinatae sunt ad sanitatem matri conferendam, licet per accidens timeatur foetus occisio, v. g. venae sectione, pharmacum ventris purgativum adhibere non est illicitum; si certo medicorum iudicio mater cum prole ante natiuitatem ejus moritura sit, nisi ejusmodi medicamentum adhibeatur. Ratio est, quia innocentem per accidens, & praeter intentionem in casu necessitatis occidere, à recta ratione alienum non est. In proposito autem casu occisio maxime per accidens contingit; cum enim foetus pendeat à vita, & salute matris, atque rarissimum sit, foetum vivum progigni post mortem matris; ideo, si ad procurandam salutem matri medicamentum praebetur, tendit secundario ad salutem foetus, licet per accidens illi noceat. Confirmatur: quis enim neget, invadente fera matrem, ipsi licitum fore, imò etiam in praecepto naturali, ut fuga vitam suam certo interitui exposita liberet, sit possit, quamvis cum probabilissime abortus periculo? Verumtamen in casu unico repugnabit charitatis legi, matris vitam medicamento servare cum probabili periculo necandi foetus, si, non adhibito tali medicamento, demortua matre creatur, foetum vivum in lucem edendum; & baptizandum fore. Cujus ratio est, quia ordo charitatis postulat, ut vita spiritualis animati foetus praeferratur vitae corporali ipsius matris. Ita Layman, cui adde Candidum in *Disquis. tom. 1. Disquis. 1. art. 1. dub. 1. n. 3.* Trullench in *Decal. to. 2. lib. 5. c. 1. dub. 4. n. 4.* Lessium lib. 2. c. 3. dub. 6. n. 33. Sanchez de *matrim. lib. 9. disp. 20. n. 17.* Vnde Dicastillus de *Iust. lib. 2. tr. 1. disp. 10. dub. 13. n. 168.* sic ait: Tunc autem lege charitatis repugnabit matris vitam medicamento servare cum probabili pe-

riculo necandi foetus, si non adhibito tali medicamento, & mortua matre, creatur foetus vivum in lucem edendum, & baptizandum fore. Ratio est, quia ordo charitatis postulat, ut vita spiritualis animati foetus praeferratur vitae corporali ipsius matris. Hunc tamen casum vix esse possibilem testatur Sanchez n. 17. Mihi tamen constat, & me ferè praesente bis contigisse, ut mortua jam matre, foetus ederetur vivus, & baptizaretur. Quorum primum casum, cum narraffem olim Excellentiss. D. Ioanni Alvarez de Toledo, Comiti Croyano, paulo post contigit, ut foemina communis conditionis difficili partu laboraret; at Comes pro insigni sua pietate, & misericordia, qua semper apud omnes commendatus fuit, per duos, tredecim dies curavit, ut semper sine intermissione, & Chirurgus aliquis adesset, & Presbyter, ille ut matrem mortuam dilecteret, hic ut foetum extractum baptizaret. Vitumque factum est. Ita ille.

Nota tamen cum Lessio, quod si tali remedio non adhibito probabile esset utrumque moriturum; eo vero adhibito probabile esset matrem saltem posse conservari, in tali casu licitè posset illud adhiberi.

RESOL. XLIII.

An quando mater probabiliter timeat esse in statu peccati mortalis, teneatur abstinere à supra dictis medicamentis, si speretur, ut dictum est, saltem in lucem edendum, & baptizandum fore?

Sed rota difficultas est in casu verò, in quo mater mortaliter esset certa de sua vita spirituali, an tunc teneatur pati mortem corporalem pro vita spirituali prolis? Idem dicendum est, quando quis ex iustitia tenetur vitam spirituales alterius consulere, v. g. in Pastoribus Ecclesiarum tempore pestis, ne subditi fideles sine Sacramento Penitentiae moriantur. Ex part. 7. tractato 5. Ref. 38.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Eminentiss. D. meus Card. de Lugo de *Iust. to. 2. disp. 10. §. 1. n. 133.* ubi sic ait: Dixi attentò ordine solius naturae, quia difficultas est, an attentò ordine gratiae id licitum sit: videtur enim obligari mater ad abstinendum tali remedio, ne filius in utero moriatur abique baptismo, cum debeat salutem spirituales sui filij propriae vitae temporali praeferre, juxta supradicta, quare Turrianus, n. 33. & segg. dicit, si mater ipsa probabiliter timeat, se esse in statu peccati mortalis, & damnationis, non tenetur ob spirituales salutem filij altinere ab illo remedio, quia non tenetur vitam spirituales propriam continere pro vita spirituali alterius, quando vero certa esset de sua salute aeterna, & certum etiam esset, filium consequitur animae salutem eo modo: quod duo raro, inquit, poterunt evenire, tunc matrem obligari ad ferendam mortem, ejusque periculum subeundum propter salutem spirituales filij.

2. Haec tamen distinctio quoad utramque partem videtur inutilis: quoad primam quidem, quia si mater in statu peccati mortalis sit, non ideo à timet probabiliter se esse in statu peccati, non ideo à procuranda salute spirituali filij exculatur, sed potius ad eum finem obligatur ad procurandum statum gratiae, ad quem potest se per contritionem, & sacramenta praeparare. Alioquin nec Parochus, nec ullus tenetur etiam ex officio ad subveniendum proximis in extrema necessitate spirituali cum periculo vitae, quando probabiliter timerent se esse in statu peccati mortalis, quod falsum omnino est: tenetur enim se constituere in statu gratiae, ut debito modo suo muneri satisfaciant. Quoad secundam etiam partem distinctio illa non subsistit, quia si ad hujusmodi obligationem requireretur